




250


L. 2

Obv.

Lau

77

Ex Libris
M. B. L.
- 36
iani.



587238-587257

Mag. St. Dr.

AGERE & PATI

Sapientis Institutum

dum

sub Regimine

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI

D. M. ANTONII

ZOŁĘDZIOWSKI

Utriusque Juris, Sacrae Theologiae DOCTORIS & PROFESSORIS,
COLLEGAE MAJORIS, Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Facul-
tatum; Theologiae DECANI, Medicæ & Philosophicæ PROCANCEL-
LARI, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis Magnifici
R E C T O R I S.

M. ANDREAS CANTIUS SLECZKOWSKI

Philosophiæ Doctor, ejusdemque Regius, & Tylicianus Eloquentiæ
in Collegio Majore Professor, Curelovienſis Scholaſticus, interea Fa-
cultatis Philoſophicæ Decanus.

Primam in Artibus Liberalibus & Philoſophia Lauream,

Præſente diſtinctiſſimorum Hoſpituſum frequentia

in Divi Jagelloniſ Aula

VII. VV. DD. ejusdem Laureæ Candidatis;

I. V. D. THADDÆO JORDAN STOJOWSKI.

II. V. D. PAULO CAMELIN.

III. V. D. JOSEPHO WEYSS.

IV. V. D. MARTINO BEDNARSKI.

V. V. D. THADDÆO STOJECKI.

VI. V. D. PAULO KOZŁOWSKI.

VII. V. D. ANDREÆ ROZBORSKI.

Ritu ſolemni conferret.

ORATIONE ACADEMICA

DEDUCTUM.

Anno 1770. Die 10. Menſis Aprilis.

Typis Collegii Majoris Univerſitatis Cracoviensis

NORINDUS CHALCEDONIUS P. A.
ad VV. Primæ Laureæ Candidatos.

BRuma rigens cedit, placidum ver nascitur orbi,
Solvuntur glacies, ridet sua vincula Thetys,
Et sterilis tellus nova germina fundit in hortis.
Omnia segnitiam crudo sub frigore natam
Excitant: dudum torpentes navita remos,
Agricolæ stivas, ressecandis vitibus aptas
Vinitor assumit falces, acuitque ligones.
Urbibus in mediis extendit signa Gradivus,
Mulciber arma parat, lituos Mars turgidus inflat,
Undique colligitur miles. Caput arma Juventus
Sêu laudis studiô tractando vivida bellô,
Oppetat, & pulchram quærat per vulnera mortem;
Sêu sit gnava minùs strictô configere ferrô,
Apta magis turpem raptô producere vitam!
Ignavin⁹ eritis Juvenes quæis castra Gradivi,
Dura chalybs, clypeusque gravis, quibus ensis & hast
Arrisere minùs, quàm doctæ Palladis ægys?
Ignavin⁹ eritis? quæis multò Delphica laurus,
Gratior est palmis victricibus, atque corymbis?
Maeste animo sitis! longè Mars segnior arte,
Cedunt arma togæ, cedit Bellona Minervæ,
Nullibus armigêrum præstat pharetratus Apollo!
Vos infra est, quidquid præsert gloria Martis,
Possidet & quidquid laudis Thyrsinthius Heros!

587253

ORA-

ORATIO.

SI malorum originem, cum quibus litterarum studium conflatur, attentius quæramus? AA. eò tandem veniendum erit, ut concedamus omnem periculi causam non aliunde fluxisse, quàm ex illa pravitate opinionis, qua plerique imbuti, molli levique brachio, vel, ut ajunt; per transennam opus aliquod ad summum perduciposse temerè statuerunt. Inveteravit enim jam perniciofa reipublicæ litterariæ, damnofa egregiis juvenibus. delicatè ac lepidè viventium sententia, quæ non modò in curia, sed etiam in tugurio plurimorum sermone percrebuit; sufficere ad elogium ex honestissimis disciplinis profecturum Musas à limine salutare. Qui certè tanti beneficii obtretractores, virtutis hostes, laudis in scientiis positæ invidi linguam còderent, si mala, quæ affert, extimescerent! Namque belluli festivique isti susurriones ipsi sibi sunt ludibrio, adolescentibus stultitiæ, Viris cachinno, Senibus crimini, omnibus, quibus non suffecerat primis labris gustasse litteras; delirio. Viderint! quot attinet ad scurrilem suam dicacitatem? Pueros in hac mercantur procaces, & eorum impudentiam acunt, qui probra meditatè effundunt. Quis hìc satis mireretur suam inconsultam rationem? Nihil equidem alienum magis est à dignitate istorum hominum, si tantum humano nomine contentur? nihil populorum saluti perniciosius, nihil regendis Civibus magis injuriosum, quàm inutilis dolor, inanis gemitus, pietas mollior; ubi gravitas, constantia, & omni periculò superior magnitudo quadam animi ad rectè instituendos juvenes requiritur. Hac nimirum sublata vires intendit otium, ex otio fatuitas, ex fatuitate stultitia, ex stultitia insolentia, ex insolentia temeritas in puero nascitur. Atque etiam revocatus hic à cursu in studio bonarum artium suscepto, quid non cogitat? cogitat suasu pernicioso allectus de escis tantum & ventre, homo mollis & piger efficitur, ut nihil velit pati & facere, nisi quod libet! Si hæc utcumque ignoscenda; illud quis ferat? pugnare petulantia contra pudorem, libidine contra pudicitiam, desidia contra diligentiam, scelere contra pietatem, contemptu Sacrorum contra religionem, fraude contra fidem, ebrietate contra temperantiam. Deinde arrogantia demissionem, avaritia liberalitatem, iracundia patientiam,

tientiam, virtutes omnes omnibus tollit vitis, bonam mentem cum depravato iudicio, prudentiam cum amentia, ipem postremo certam cum salutis desperatione confundit. Sordida hæc sunt! nam ex turpissimo fonte profecta. Callidi fœdissimique, nescio an non ex Epicuri schola Philosophi litterariæ vitæ exterminantes institutum tanto genus, & ipsi naturæ repugnans, quod hominem liberum & sui juris arbitrio mancipet alieno, perpetuoque velut adstrictum carceri, non omni solum voluptate privet, sed etiam inertis labore conficiat, vigiliis frangat, ac irrogatis plerumque poenis crudelissime torqueat. Fortunæ quoque in Viros litteratos odium mentiuntur. Illam à longo seculorum decursu assidua in probos sapientes calamitatum & miseriæ fulmina emittere, plerosque gravi egestatis iugo subicere, quosdam durioris excruciare carcere, alios in exilium agere, nonnullos injuriis innumeris affectos horrendo tandem dare interitui, adeoque universum ferè orbem eruditum tantis cladibus insignem efficere, ut nihil in eo securum Mularum filiis deprehendatur, comminisci placet. O gravem argutamque garrulitatem! quam Viri cachinnis explodunt, Senes criminantur, illi autem Viri & Senes, quibus lumen sapientiæ decoquit ingenia, dementiæ habent. Dicunt illi cum Diogene rerum humanarum contemptore, calcatore ambitionis & arrogantia: nullum gravius in terra sustineri onus indocto homine. Repetunt cum Seneca ingenii subtilitate nulli secundo, sententiarum gravitate inferiore nemini: eum jubere peccare, qui non vetat, cum possit. Crebrius usurpant cum Theophrasto Aristotelis Discipulo maximo, qui ad eam dicendi laudem effloruit, ut meritò à Cicerone Philosophorum eruditissimus & eloquentissimus fuerit appellatus; sumptum pretiosissimum tempus esse. Inducunt Demosthenem eloquentiæ parentem & artificem, omnes, quotquot antè vixerant, dicendi gloriâ, orationis vi, excelitate, impetu, cultu, compositione supergressum: quod antelucanâ opificum industriâ sæpe victus fuerit, doluisse. Dicunt, repetunt, usurpant, inducunt, & lurdas fabulam narrant. Neque ego cum hominibus istis vitæ atque factis omnium jam opinione damnatis, voluptatis magnitudine, sua spe ac prædicatione absolutis, oratione contendam. Stabiliunt vi sua cæca consilia, nostras perrumpant sententias, vecordes tamen cum sint, nostra severitate evosent. Res mihi est cum Sapientibus, sermone decertare, ac proinde dicere de omni statu eorum, de genere vitæ, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de studio conservandæ salutis communis, atque otii litterarum. Contendam, si modò

modò id consequi potero, ut in hac confusa, atque paucissima sapientum defensione, nihil à me, quod ad Vestrum delectum, nihil, quod ad istos Juvenes, quibus Lauream in Artibus Liberalibus & Philosophia primam sum collaturus; ad amorem disciplinarum ipsa duntaxat cum morte amittendum excitandos pertineat, prætermisum esse videatur. Atque ut strictim breviterque summam totius Orationis pertractem; Agere & pati sapientis, esse pro virili ostendam. Itaque si aut tenuius egero, aut firmitus, quàm qui ante me dixerunt, peto à Vobis ut tantum Orationi meæ concedatis, quantum & meæ imbecillitati, & iustæ causæ tribuendum putetis.

Cùm intellexi satis ad hunc usque diem AA. quo consilio Viros sapientes ad eum, quem tenent dignitatis apicem omnipotentis DEI Minus exerit, tum certè hodiernæ causæ gravitas ac magnitudo postulat, ut status eorum, generis, naturæ, morum, amoris studii vim omnem ac robur cæteri omnes intelligant, & eò, quo par est modo, discant revereri. Nam si fuit tempus unquam ullum, quo homines almoti ad illud mentis lumen, in quo est nervus ratiocinandi & ex aliis alia colligendi, unde exorta est illa omnium virtutum suprema, quam magnificentissimò vocabulò Latini Sapientiam nominârunt, si inquam nullum tempus fuit, quo à Sapientibus aliquid honoris & gloriæ, omnis generis ornamentorum & immunitatum abesset, tum modò per sciolos verèque eruditorum abutentes nomine non parùm videtur decedere. Priscis equidem temporibus qui de DEO rebusq; Divinis, qui de mundi origine, qui de abditis naturæ causis differabant, earumque cognitione cæteris excellebant, illi duntaxat Sapientes dicebantur. Nec abs re quidem. Mente scilicet in rebus tam sublimibus tamque arduis uti paucissimis hominibus datum est. At cùm in omnibus luceant quasi scintillæ istius luminis, hinc perstrepunt tumidi permulti, & in se non in Deo gloriantes, verè sapientes volunt dici, idcirco indignum visum est Domino his ostendere veritatem. Humilibus autem, qui nihil de se præsumentes, Dei se voluntati inclinant, æquitate cogente salutaria revelantur. Cognoscunt illi statum suum esse supra fortunam versari, nec inflari prosperâ, nec adversâ deprimi. Audite, quid in hanc sententiam Seneca scripserit? ait ille: Sapientem nihil perdere posse, omnia in se reposituisse, nihil sorti credere, bona sua in solido habere, contentum virtute, quæ fortuitis non indiget; ideoque nec augeri, nec minui. Nacti siquidem genus vitæ, quod est, non accipere, sed facere nobilem atque prosperum, imbuti institutisque à natura ad contemplandum verum, atque prudentiam ad rectè vivendum indagandam, quan-

tam

tam DEUS immortalis habent mentis pernīcitatem! quā celeres ingenii motus! Vis, pervadant terras ac maria? jam pervaserunt. Jubes, in coelum evolent? jam evolārunt. Cupis detinere? non potes. Quos inquam obices objicies? pone terrarū molem, penetrabunt. Oppone Oceanum, transilient. Mundum ipsum universum obrude, momento eum superabunt. Expectate ab illis factum aliquod novum & inusitatum! vincent expectationem vestram. Omnia quæ ad commodā vitæ pertineant; licet illis nonnunquam desint, ipsi sibi animi voluptate, virtutis fructu, mentis tranquillitate sufficiunt, eō solō beati, quod sui mores vocibus contonent. Quandoquidem eorum interest discernere inter bonum & malum, tum nihil sibi prodesse omnium rerum notitiam arbitrantur, nisi scientiā Dei coronentur. Inde fluit, amore illos semper in bonos decertare. Repetamus consuetudinem illorum à primis nascentis mundi cunabulis, bene semper eos de humano genere meritos comperiemus. Quis homines ibi illo tempore, cum dispersi ac dissipati & more brutorum vagati erant in sylvis, ab agresti immanique vita in civilem cultum elegantiamque traduxit, & tutis ipsis postea moenibus conclusit, leges sancivit ad suam conservandam amplificandamque rerum proprietatem? Sapientes. Unde tot gentes in provincias & regna distributæ, & suis Regibus aut Senatui parentes abhinc tot annorum millia bonis moribus ac legibus instructæ declarantur? hoc ex fonte declarantur. Nonne hoc bonum est velle omnibus? nonne studium conservandæ salutis propagare? Amens sit, qui non dixerit summum in homines amorem esse studium hujus virtutis, solamen in vita maximum, quam qui possidet, felix est, & qui subministrat, beatos efficit. Una videlicet ex parte illi soli gubernacula rerum tractantes publicarum, & in supremis honorum sedibus collocati; testati sunt in hodiernum usque diem, testabunturque per omne tempus eodem officio ac munere magna sui nominis celebritate functuri. Ex altera, ubi conservarentur litteræ? quæ & clarum ex obscuro faciunt, prima regnorum sunt fundamenta, dolorum levamen unicum, quibus deinde sublati squalor & tenebræ succederent, & ferox quædam, aut verius dicam, ferina vita immineret. In pretio hæc olim fuerant, gratiæ quarum sapientes Viros non modò ipsi Reges, sed & tyranni honoribus ornabant. Horum de numero Plato & Dionysius erit exemplo. Quid de utroque dicam? Platonem Syracusas venientem excepit Dionysius tyrannus suæ naturæ oblitus: at qua pompa, quo apparatu? bellè nostris. Non arbitramini vias ei fuisse cylindrō æquatas, ut Caligulæ, non resperfas ramentis, ut Commodo, non stratas floribus, ut Helio-

Heliogabalo. Quid igitur? accipitis, atque suspicitis, Platoni ipsi aureis vecto quadrigis Dionysium ipsum aurigam in urbem fuisse. O Sapientia! in qua una honeste ac liberaliter possumus vivere, quæ una quoddam es animorum ingeniorumque pabulum naturale. Eri-
gimur per te, elatiores fieri videmur, humana despiciamus; cogitan-
tesque supera atque coelestia, hæc nostra, ut exigua & minima con-
temnimus. O sapientia! quam in agendo & patiando consequimur.

Ad primum quod attinet? nec aliud significare vult omnis creatura. Naturaliter illa appetit exire in actum, atque id omnino præstare, quod in suam facultatem cadit. Solem querere semper, ut illuminet, ignem, ut calefaciat, terram, ut fructum ferat, animam, ut cogitet, & ne per singula eamus, singula secundum vim sibi respondentem ope-
rari comperimus. Intueamur quocirca Sapientium vitam, unam eam activam contemplativam alteram fateri oportebit. Prior animum ad virtutem format, ut faciat hominem civem bonum, posterior men-
tem disciplinæ excolit, ut faciat virum eruditum. Utraque illos non suo sed publico bono natos esse ostendit, utraque in continuo motu & exercitio constituit, quæ si cessent, civiliter mortuos, ad ni-
hilum in societate aptos valentesque jure dixeris. Potestis hinc fa-
cilis perspicere, Sapientem totum virtuti laborique intentum esse de-
bere. Non enim sapientiam, sed fucum duntaxat & umbram judi-
cârunt veteres eruditionem virtute destitutam, quinimo amitti pri-
mum hoc expetendorum omnium, in quo perfecti boni forma confi-
sit: ut Seneca ex Cleanthe loquitur; crediderunt, si probitas hone-
stasque morum dedecatur. Eos hanc viam ingredi dicimus, qui se Patriæ, qui mortalibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui corpori, non qui sibi, non qui delectationibus, non qui lustrationibus, natos ar-
bitrantur. Fugiant hinc qui voluptatibus ducuntur, & sese vitiorum illecebris & cupiditatum lenociniis dediderunt. Missam faciant eru-
ditionem, nec attingant rem litterariam, patiantur studiosos adole-
scentes, sustinentes laborum ad studia rapi incredibili voluntate, &
hac ratione inservire mortalibus. Tanti namque emolumenti ratione sudandum est magnopere, pro his commodis totos dies laborandum, vigilæ suscipiendæ, cum vitiis, cum otio, cum reliquis hostibus acerrimè conflegendum. Hæc litteratorum suadent consilia & facta, hæc legimus, hæc hausimus, nec eos in laude positos audivimus, qui non incubuerunt modis omnibus ad studia, qui desidiâ, & mul-
to tempore languere voluerunt. Contrâ verò, diligentes, industri-
os, sagaces, cathedras deferre, præfecturas obtinere, honores gerere, rerum potiri, & orbem terrarum suis humeris sustinere notum est

ac exploratum. Proponantur Principes cujuscunque facultatis ac disciplinæ, Cicero Eloquentiæ, Aristoteles Philosophiæ, Hyppocrates & Galenus Medicinæ, Paulus & Sulpitius ac reliqui Jurisprudentiæ, Thomas decus ac lumen Sacræ Theologiæ, quid illi virium artibus non impenderunt? ut ornate politèquè dicerent, scientiarum maximarum opes conditas expromerent, atque in lucem proferrent, ut in disputationibus dominarentur, fungerentur legationibus, in concionibus vim haberent, in omni re privata, publicaquè actione primas obtinerent, in hostes fidei tonarent, ac fulmina jacerent, tenerent animos auditorum, & quòcunque voluerint impellerent, unde prætenderint etiam deducerent, ut res inastimabilis sanitas corporum ab illis resarciretur, ut tricas litium discuterent, ut totum terrarum orbem idolorum servitute & dæmonis sceleratissimi dominatu eriperent. Dies ipsis unus non suffecerat, non annus, integro usi sunt ad mortem decursu, ut labor, qui minùs dulcis dici potest, quòd nihil delectationis objiciat sensibus, origo illis, suisquè discipulis bonorum omnium extitisset. Nam labor improbus omnia vincit, domat ferrum, emollit æs, aurum in subtiles ducit laminas, muros densissimos evertit & subruit, & quomodo animum litterati constantem aliqua difficultate moretur? Omnibus ille necessarius est ac perutilis, sed maximè sapienti: ex aliis enim quisque natus est sibi, Vir eruditus universis, instruere autem reliquos non quietis officium est, sed incommodi. Quin etiam sicut opera animalculorum integra regnà ditat cerâ & melle, ita hominum industria disciplinis intendentium beatas reddit respublicas. Felix ille litteratorum carus, qui nullos tolerat otiosos, sed omnes corpori mentiquè non parcentes occupat. Coelum profectò imitatur, quod semper in motu est, & si sui moveri desinerent orbes, unà rerum generatio & perductio cessaret. Quid aliud innuere Pythagoras voluit, virtutem affirmans cum labore debere esse conjunctam? nisi ut eruditioni mores consentiant, & quod sermone statuitur, actione non refellatur, quod suadetur verbò, prævaricante vita non refutetur, atque ita his conquirendis insitatur, ut omnium flagitiorum quasi magistra quadam desidia evitetur. Age verò quantà curâ, quanta contentione hanc pestem animorum Sapientes effugiunt? Quemadmodum trepidè terga verteres, si anguem oculis igne suffectis, & exertâ linguâ in te irruentem conspiceres: ita non minore impetu ac celeritate ab hac fæce avolant. Instituunt ita vitæ rationem, ut nihil unquam dicant faciantvé, cujus eos postea meritò pudeat ac poeniteat. Qui nunquam pedem suum efferunt domò, nisi cum eos amor litterarum pietatiquè invitât

vitat. Qui sic in urbe versantur, ut præter vias tritas, quæ deducunt
in templa & in gymnasia, omnino nesciant alias. Atque cum do-
mi sunt, ferè semper in cubiculo sunt, & cum libris, cum litteris
semper habent, alia neque agunt, neque norunt unquam, quæ
ad illorum statum & conditionem non spectant. Ne corpus & ani-
mus continuò sordescant, & situm contrahant, hunc devotionis do-
ctrinæque exercitio, illud quotidiana promovent sedulitate. Ad hunc
ordinem referendum est non intermitti ab illis aut admirationem ea-
rum rerum, quæ sunt ab antiquis repertæ, aut investigationem no-
varum: quo studiò cum satiari non possint, omnis commoditatis obli-
ti, nihil abjectum, nihil humile cogitant, eamque dulcedinem in ta-
libus studiis degustant, ut in causis quærendis explicandisque natu-
ris totam ætatem conterant. Plura superioribus adjungit Tullius.
Cum animus eorum coelum, terras, maria, omniumque rerum natu-
ram perspexerit, eaque unde generata, quò recurrant, quando, quo-
modo obitura, quid in his mortale & caducum, quid divinum,
æternumque sit, viderit, in hac ille magnificentia rerum, atque in
hoc conspectu, & cognitione naturæ, Dii Immortales! quàm ipse se
noscet, quàm despiciet, quàm pro nihilo putabit ea, quæ vulgò di-
cuntur amplissima? O vitam Sapientium contemplativam & activam!
quibus te litterarum monumentis extollam? qua prædicatione cele-
brem? Tu eorum servis oblectationibus, ut emolumenta Civium
amplifices, mæstos recreas, agros reficis, jacentes erigis, excitas affli-
ctos, miserofque levas. Vitio naturæ in turpi bonarum artium igno-
rantia verlari eos & contemptos apud omnes stertere non finis! Do-
ctrinam eorum positam esse in illo facis, ut cum quisque se ipsum
perfecerit, alios quoque erudiat, sic ut omnes, unum, hoc est sum-
mum bonum consequantur. Hunc ad scopum consilia sua dirigunt,
huc voluntatem ordinant, ut nihil sentiant, nihil velint, quod ra-
tioni non sit consentaneum, quod ab ultimo fine reducat. Exinde
corporis etiam existit sensuumque perfectio, & in externis actioni-
bus apta ex probitate constitutio, quæ nunquam proventurâ est, si
non è bona mente velut è fecunda matre effluerit. Quid his im-
moror? ad id, quod est hujus causæ caput alterum, festinet oratio.


Patientia est fortitudo illa, qua animus primùm cuncta, quæ in-
fra se habet, deinde se ipsum, postremò victoriam ipsam vincit, do-
mat, Deo subdit, mundi mala æquè tolerat, quæ sibi peculiari jure
Sapientes obligat. Nam cum illi perditorum hominum levitate à
consilio vitæ melioris revocari non debent, non blanditiis ad volup-
tates, non amoenitate ad delectationem, non majorum nobilitate ad


ambitionem,

ambitionem, non egregiis dotibus ad arrogantiam, non procacitate aliorum ad libidinem, non amicorum convictu ad oblectationes in-
tempestivas, non denique summâ rerum omnium affluentiam ad ali-
quod probrum infamiamque pellici sinunt, tum bone Deus! quan-
tum in sedandis coercendisque tumultuantibus affectibus patiantur? ut
nihil avidè desiderent, mediocritate sint contenti, invariata recti
constantia nunc se contrahant cum moerentibus, nunc laxent cum
latis, nunc indurescant cum servis, nunc cum facilibus, mollescant.
Emineat in illis, necesse est, excelsitas animi in condonandis offensis,
in communicandis opibus liberalitas, in capeendis rebus arduis
magnitudo mentis, in viis negotiorum pervestigandis mira sagacitas,
in gerendis acre consilium, in persequendis summas inter difficulta-
tes constantia; nihil sit, quod non excelsa quadam aggrediantur
cogitatione, aut cautissimis consiliis administrent, aut strenuo cona-
tu perficiant; Viri planè imperterriti discriminibus, malis infracti, ad-
versis invicti, ad onera impigri, ad pericula fortes, ad casum for-
tunamque patientes. Locò illi non cedant, ne imperfecti videan-
tur authores, quamvis pulsi fuerint; non curent, quid præsens ma-
levolentia garriat, sed quid venturi temporis aequitas sentire possit.
Quid! terrebuntne eos obstantia? non, animant, quia rectè agendi
occasionem geminant, casibus eriguntur, impresso impelluntur impe-
tu, ne retardentur. Rideant eapropter linguarum jacula, calamorum
cuspidēs, quòd recti honestique centrum ratione attigerint. Quan-
do enim verborum contumeliâ tentantur; probari se à Deo existiment,
an Illi per patientiam adhæreant? an per iram in adversarii partes
inclinent? fructum optimum ex his duobus procul dubio conse-
quentur, & inimicum exemplò suæ mansuetudinis mitiorem reddent,
& invidiam superantes humilitate, discordiam charitate destruentes
de ampliore Numinis supremi gratia merebuntur. Quid enim ad-
versario durius esse potest? quàm Sapientes gerere animum contem-
ptu omni altiore? Quid sapientibus optabilius, quàm quòd sibi ta-
curnitas regnum Coelorum aperiat, quòd detractoribus contumelia
claudit. Adde, quòd præter Dei proximique dilectionem suam
gloriam quamvis inviti venantur. Cum enim sapius accadat infans
aliquos scientiarum cultores nihil aliud agere, quàm mordere, oblatra-
re, maledicere, & convitiò proscindere meliores disciplinarum Magi-
stros, putantes sese ob tantâ mentis deliramenta heroum albo esse infe-
rendos, sibi què apprime blandientes, quòd Herculis instar, nescio quos
leones Nemeos clavâ suâ percusserint, hydras Lernas igne intereme-
rint, aptos Erymantheos occiderint, cervos ceperint aurea gerentes
cornua,

cornua, Stympthalidas aves in nubibus sagittis confoderint, & nescio quæ alia immortalis memoria opera digna patrârint? tum evenire compertum est, longè feliciores magisque peritos inflatis atque turgidis hujusmodi Trasonibus, artium humano generi utilium propagatores, areis planè similes, omni florum pulchritudine luxuriantibus, arboribusque proceris, non amantate solum, verùm fructuum etiam copiam universos recreantibus, injuriis ex tanta ignominia profectis libenter patienterque tolerandis, assuetos videri. Mittunt hinc sub jugum superbam illam terrentium ingeniorum fatuitatem, & quid tam dignius aut præsentium, aut futurorum temporum præconiò capessunt? quàm in medio victoriæ cursu, quæ naturâ tumida est atque insolens, eos sese viros existere, qui propriæ laudis contemptores animum ad pacem ultro ac volentes adjungant. Scitè hos Chrysostomus arboribus comparavit frugiferis, quæ, quò magis agitentur & feriantur à ventis, eò fiant fortiores & densiores, ita nos quoque si senes simus & patientes, fortes etiam erimus & validi. Accedit in eam sententiam illud Isidori Pelusiotæ: quod si quis iis, qui livore feriunt, veniam tribuat, ac pro ipsis, ut ex hujusmodi furore emergant, vota faciat, atque ita sit comparatus, ut non modò à vindictæ studio abhorreat, sed eorum etiam, quos hoc vitium subegit, miseriam moveatur, hic demum sincerè novit philosophari. O Philosophum! qui dum vitam hanc mortalem velut Oceanum variis fluctibus procellisque agitatam transmittit, nulla unquam mentis perturbata concutitur tempestate, nulloque adversæ fortunæ turbine demergitur. Luctatur reapse constantiâ animi in eodem statu permanentis cum ambitione orta à rebus externis, & cum noverit complacentiam vanæ gloriæ & serium veri boni amorem in una sede morari non posse, spiritu corporis & cupidinis domitore victo, Deoque subjecto, ne fiat ventosus, laudem semper falsam, immeritam, levem, brevemque & verum mentis deceptæ ludibrium existimat. Luctatur cum mundi malis sæpe irruentibus & non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor, non si mors impetum faciat, pedem refert. Quid exemplis opus est, ad stabiliendum quod dicimus? quis nescit intolerabiles ærumnas eos pertulisse, qui sapientiæ probitati conjunctæ iter secuti sunt, nunquam tamen à recto honestoque descivisse. An verò Socrates cum sententiis impiorum hominum damnatus esset, non aequissimò animò dixit se mortem appetere? neque Judicibus supplex fuit, sed adhibuit eam mentis fortitudinem; ut ipso vitæ supremo die de animorum immortalitate jucundè nimis disputaret. Data sibi erat fugiendi facultas, fugere noluit, verùm ad mortem perrexit lætus, tanquam ad honorem & scholasticos labores. Et erit deinde

deinde qui in dubium revocare audeat? eum contentientibus bonis
omnibus veri Sapientis titulo ornandum esse, qui concitatos animi
sui motus reprimere, se ipsum vincere ac Deo subicere, fluxa hac
caducaque oblectamenta videre, illatas sibi injurias non ulcisci sed
contemnere, adversas rerum temporumque vices infraacte perferre,
tristibus contentiosorum litteratorum periculis perspectis omni stu-
dio morbi vitique illius abominabilis malignitatem evitare didicerit.
Hæc est communis sententia, quam ne amplius exaggeremus, tem-
pore monemur. Instituta quocirca Orationis expediendo exitum,
iisdem verbis, quibus initium sumpsimus, finem dicendi tum facimus,
tum agere & pati sapientis esse voce quam maxima repetimus. Nec
tamen hæc sermonis clausula sine vobis est primæ Laureæ in Artibus
Liberalibus & Philosophia Juvenes percupidi. Quidquid à me
jejunè inter has temporis angustias dictum est, totum est Vestri gratia
dictum. Agere vos & pati per amorem vestrum, per pietatem in
Parentes, per spem hujus Matris Academiæ de Vobis conceptam, &
eo pergere itinere, quo capistis vehementer adhortor. Molestum qui-
dem videbitur dare operam litteris totos dies, petere repetereque
scholas, interesse prælectionibus, abesse nunquam, audire attentissime,
quæri de auditis, conferre cum Condiscipulis, versare libros magnam
noctis partem, infestum erit valetudini, vim frigoris hyeme, caloris
æstate & alias utriusque temporis injurias tolerare patienter, & con-
tra vim gravitatemque morborum, quos ex sedulitate studiorum litte-
rati contrahunt, contendere, sed totum hoc rescient præmia, quæ
labores in litteris positos comitantur. Non subterfugite per Deum
immortalem! usitatum hic ingeniorum conflictum, utpote quo saepe
numero & veritas purior & eruditio probatior emicuit. Juvenibus
vobis cumprimis ista exercitatio ad utilitatem est opportuna, ut à te-
nero non reformidare homines assuescatis, neque umbratili solum do-
ctrina vitæque solitariâ sitis contenti, sed in publicam aliquando lucem
prodeuntes mentem paulò altius erigatis, & obtusum languidumque
acuatis ingenium. Audietis in litterariis concertationibus multa quo-
tidie probari, explicari, multa etiam corrigi, & acriores ut plurimum
ad studia faces accipietis. Si adversitatibus atteremini, à rectitudine
tamen non curvaminor. Immo verò, quidquid atrocior procella discor-
desque Parcæ eruerint, generosiore evincite nisu. Dura probat Viros,
fors fluxa molles. Non plorate calamitatibus oppressi! Tribulatio enim
medicina est non pœna, castigatio non damnatio. Nolite depellere fla-
gellum, si non vultis repelli ab hæreditate, nec attendite, quem do-
lorem subeatis in flagello, sed quem locum teneatis in testamento.
Agite & patiamini, & vivite non tanquam propter corpus,
sed tanquam sine corpore non possitis.





D № 367880

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT



D № 367880

Biblioteka Jagiellońska



stdr0026255

Pierwsze

24 g

60

zakonie